

*qui diu orans ut valuit oratione peracta ita sanus factus est, ut nullam laesionem habere videretur. In crastinum¹⁰⁰ vero vespertinale officium celebrantibus interfuit quidam claudus,** qui ad gradiendum nullam habebat corporis potestatem nisi cum duobus baculis, sicque sanus in eadem hora redditus est, ut deinceps istis minime indigeret.

(XXXII) Deinde procedente tempore natalique^z apostolorum Petri et Pauli¹¹⁰ prosequente^z adveniens quaedam^a mulier proprio carens lumine ab annis V eodem in loco munus recepit amissum. Succedente^b proximo die dominico¹¹¹ quidam^c claudus et puella parvula utroque genu contracto^d et gibba sanitatis^e donum adepti ineffabili laetitia sunt repleti^f.

[G]

Non^g post multo tempore erat quaedam matrona nomine Hogardis, commorans in pago qui vocatur Lainga¹¹², et vir eius nomine Wigo ex nobili progenie, miserabiliter debilitata et contracta ex omni parte membrorum ab annis quatuor, quae ire nullo modo poterat nisi manibus servulorum sustentaretur aut aliquo vehiculo duceretur. Haec cum audisset famam virtutum, quas Dominus meritis beati martyris operari dignatus est, iussit sibi carrucam¹¹³, sicut mos est in illa regione, iungi ascendensque nostrum adiit monasterium implorans et flagitans Dei et sancti martyris auxilium. Quae cum noctem insomnem prae nimia gravitudine corporis pertransire non quivisset et matitunali tempore gravi sopore opprimeretur, adstitit ei quidam^h per visum in similitudine iuvenis dicens ei: „Quare dormis? Surge, nonne audis, quanta laudes in ecclesia Deo solvuntur?“ Tunc illa statim timore percussa rapido cursu pervenit ad ecclesiam ita sana, ut nullius egeret sustentaculoⁱ, quae venerat sedens in carruca, ibique curata post aliquot dies ad propria est^k reversa.

Vertente igitur^l dehinc anni circulo^m celebritateque sancti Viti iterum recurrente¹¹⁴ quidam nostrae familiae habebat filiam, cuius manus sinistra ariditate in tantum detenta est, ut ad nullum opus necessarium eam movere posset. Quam inter multitudinem populi ita sanam vidimus, ut nullum habuisseⁿ crederetur malum. Post haec iterato die, in quo octavas martyris celebravimus, adfuerunt duae mulieres de villa, cui vocabulum est^o Ercnibergi^p ¹¹⁵, una ex eis muta, quae paululum balbutire videbatur, altera utrisque^q pedibus contractis^r. Muta quidem vocabatur Thietburg, altera autem Authburg, quae utraeque sanitatis curatae medicamine incolumes ad propria sunt reversae.

^y aderat G
^z natalisque ... prosequentibus G

^a fehlt W

^b subsequente G

^c fehlt W

^d contracta K

^e salutis G

^f reversi G

^g Von hier bis sunt reversae fehlt W

^h fehlt K

ⁱ sustentatione K

^k r. e. K

^l ergo K

^m curriculo K

ⁿ vor malum K

^o fehlt K

^p Feinbergi M

^q utriusque K

^r contracta K

* post diutinam orationem prout valuit peractam sanus perfecte (fehlt K) inventus est. G

** qui nullam gradiendi habuit valetudinem nisi cum baculis duobus (sustentaretur K), sicque sanus in eadem hora inventus est acsi nunquam claudicaret. G